Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1683
Quelle:
Copyright:

ſunt: *diſtinguuntur autem tria genera preceptorum ſcilicet moralia cerimonialia et iudiciaria.* &c. Agitur vero primo de generali Librorum diviſione, dein ſingulorum argumenta percenſentur, et Capitum indicatur numerus. Finis in *Apocalypſi* his verbis: *que ſuſceptura eſt in vita beata et habet capitula XXII.* Ad compingendum Codicem adhibitae ſunt utrinque Membranae 2. e quodam Rituali *Hebraeorum* Sec. ut videtur, XV. eleganter ſcripto et punctato exciſae, atque truncatae, quarum Περιοχαι aliqua ſic incipit:

יִשְׂמַח מֹשֶׁה בְּמַתְּנַת חֶלְקוֹ כִּי
עֶבֶד נֶאֱמָן קָרָאתָ לוֹ בְּלִיל
תִּפְאֶרֶת בְּרֹאשׁוֹ &c.

CCCCXXVII.

915 Codex chartaceus lat. boh. Sec. XV. Folior. 172. 4. bene ſcriptus et rubricis enotatus complectitur: I. *Job. Huſſi* Tractatum *de Eccleſia* praevio Indice. Ejus initium eſt: *Cum quilibet viator debet fideliter credere* &c. Ut edit. *Opp.* 1715. T. I. p. 243. Nobis ſubſcribitur: *Explicit Compendium tractatuli ex ſanctorum doctorum, ac Juris canonum ſcripturis compilatum et excerptum. Per venerabilem Magiſtrum Johannem ſacre Theologie Baccal. formatum de huſynecz.*

II. *fol.* 107. p. 2. *Sequitur de ſignificatione ſignificatorum totius officij miſſe.* Ita: *Nota chorus ſignificat virgines, eccleſia viduas, cimiterium coniugatos* &c. de Perſonis, Veſtimentis, Ritibus liturgicis.

III. *fol.* 108. p. 2. *Incipit Poſicio Reuerendi Magiſtri Jacobelli De Antichriſto vtilis bona, ſuper hac ſequenti queſtione. Vtrum ſicut ex ſcriptura plane conſtat chriſtum in plenitudine temporis perſonaliter adveniſſe, ita euidenter ſit deducibile ex eadem, Antichriſtum in complemento ſeculi propria venire in perſona.* Adi Exemplum *Cod.* CCCCXXI. relatum. Multum negotii *Wicleſianis* dedit Antichriſtus.

IV. *fol.* 119. p. 2. *Incipit Poſicio Reuerendi Magiſtri Friderici Epinge Juris Canonici Baccal. optima ut patebit in fine.* Contendit Autor ex *Huſſi* adſeclis, ab eoque cum in Tract. *de Eccleſia*, tum in Reſp. *ad Scripta M. Stanislai de Znoyma* laudatus ob hanc Poſitionem: *Nullum prelatum debere aliquem excommunicare, niſi prius ſciat ipſum eſſe excommunicatum a deo.* Item: *Qui ſic excommunicat, ex hoc fieri hereticum uel excommunicatum.* Initium: *Credo communionem ſanctorum, ſcribitur in ſymbolo Apoſtolorum. Quia ſpiritus ſanctus habitat in ſanctis* &c.

V. *fol.* 134. *Collecta*, ut e calce praeoccupo, *per Venerabilem Johannem de Huſynecz Magiſtrum arcium et Baccal. Theologie formatum.* Sunt Autoritates PP. *de Creare, Credere, Remiſſione peccatorum, Obedientia, Excommunicatione, Simonia*, inſcriptae in edit. *ſuprac.* p. 237.

De